



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt clerici in aliena ciuitate non maneant, nisi episcopus loci mores eorum
præuideat. cxi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Vt peregrini clerici sine literis sui episcopi non recipiantur. Cap. CXXXIX.

PEREGRINOS clericos & lectores, in alia ciuitate, præter commendatitias literas sui episcopi, nusquam penitus ministrare debere. *Ex cõcil. Chalced. cap. 13.*

Vt clerici in aliena ciuitate non maneant, nisi episcopus loci mores eorum præuideat. Cap. CXL.

VT clerici in aliena ciuitate nõ immorentur, nisi causas eorum iustas episcopus loci, vel presbyteri locorum peruiderint. *Ex cõcil. Carthagi. ca. 35.*

De clericis & monachis, qui sine literis episcopi sui vagantur. Cap. CXLI.

CLericis vel monachis sine commendatitiis epistolis episcopi sui licentiã non pateat euagandi. *Ex eodẽ concil. ca. 36.*

De eadem re. Cap. CXLII.

CLericis sine commendatitiis epistolis episcopi sui licentiã nõ pateat euagandi, in monachis quoque præsentis sententiã forma seruetur. *Ex eodẽ concil. ca. 37.*

Vt pauperibus & indigentibus auxilio, quum proficiuntur, pacificis literis sit subueniendum.

Cap. CXLIII.

OMnes pauperes & indigentes auxilio quum proficiuntur, sub probatione epistolis, vel ecclesiasticis pacificis tantummodo commendari decreuimus, & non commendatitiis literis, propterea quod commendatitias literas honoratioribus tantummodo præstari personis conueniat. *Ex cõcil. Chalced. cap. 11.*

Vt illi clerici qui in alias prouincias suos sequuntur seniores, sine formata ministrare non permittitur. Cap. CXLIIII.

QVI cum senioribus suis de aliis prouinciis in aliam prouinciam veniunt, sine formata ministrare non permittantur, quam etsi attulerint, & ministrare idonei inuenti fuerint instruantur, quàm religiosè atque studiosè sacrum ministerium peragant, & in quibus locis agere debeant. *Ex cõcil. Meldesi, cap. 2.*

Quod clerico non liceat alienas possessiones conducere, aut secularibus se negocijs immiscere. Cap. CXLV. *Ex cõcil.*

PERVENIT ad sanctã synodum, quod quidã, qui in clero videntur electi, propter lucra turpia cõductores *Chalced. cap. 3.*